

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 131

DECANDRIA PENTAGYNIA.

33

Squamas nectariferas, neque in hâc specie neque in sequenti, invenit pictor noster egregius; nec e floribus exsiccatis erui possunt. In *C. Umbilico*, et *C. luteâ*, evidentissimae sunt.

A. Flos triplò circitèr auctus. B. Stamina et pistilla.  
C. Pistilla seorsùm. d, D. Capsulae matura.  
e, E. Semen.

TABULA 445.

COTYLEDON PARVIFLORA.

COTYLEDON foliis orbiculatis crenato-repandis petiolatis, caule racemoso decomposito, radice tuberosâ.

C. cretica, tuberosâ radice, flore luteo parvo. *Tourn. Cor. 2.*

In Cretâ montibus Sphacioticis.  $\gamma$ .

*Radix* tuberosa, fibrillosa, perennis. *Herba* glabra, carnosâ, succo plena. *Caulis* erectus, palmaris, vel spithamæus, teres, ruber, foliosus, alternatim ramosus; ramis racemosis, multifloris. *Folia* longiùs petiolata, alterna, crassa, lævia, ferè orbiculata, obtusè crenata, vel repanda, utrinque rubro-lineata; inferiora maxima. *Petioles* crassi, canaliculati, colorati, foliis longiores. *Racemi* cylindracei, decompositi, multiflori; *pedicellis* alternis, angulatis, rubris; basi bracteatis. *Bracteae* lineari-oblongae, obtusae, marcescentes. *Flores* præcedente duplò minores, lutei, venis nervisque fulvis. *Calycis* laciniae ovatae, acuminatae, rubicundae, erectae. *Corollae* tubus campanulato-cylindraceus; limbi laciniae ovatae, acutae, patentes, tubo aliquantulum breviores, nervo solitario, fulvo. *Stamina* decem, filiformia, flava, quorum quinque *pistillis* longiora, quinque breviora; *antheris* parvis, concoloribus. *Pistilla* et *styli* ferè præcedentis, *squamis* nullis inventis.

A, A. Flos quadruplò auctus. B. Idem, petalis avulsis. C. Pistilla.